

10.

PANEGYRICUS DIVO IVONI, JURIS-CONSULTORUM TUTELARI PRINCIPI DICTUS

Cordam
ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VIENNENSI,
Cum
In Metropolitana D. Stephani Proto-Martyris Basilica
Inclita Facultas Juridica

*Eiusdem Divi Patroni sui, Feria tertia Pentecostes,
Annua memoriam solenni ritu instauraret.*

DEFERENTE
PRÆNOBILI, CLARISSIMO, AC CONSULTISSIMO
DOMINO,
JOANNE CAROLO
FERDINANDO à PICHL,

U.J.D. Aulæ, Judiciorūmque Advocato, Celsissimi,
& Reverendissimi Sac.Rom.Imp. Principis, & Episcopi Passaviensis
Consiliario Consistoriali, Facultatis Juridicæ

DECANO SPECTABILI.
ORATORE

Perillustri, ac Doctissimo Domino,
ANTONIO HUNDESHAGEN,
Austriaco Viennensi, AA.LL. & Philosophiæ Magistro,
Utriusque Juris in primum annum Auditore.

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Wolfgangi Schwendimann, Univ. Typogr. 1731.



132



ORATIO.

Quod in Republica vulgo hominum universa longè pulcherrimum , atque ad singulorum , in quos secernitur , ordinum commendationem in primis illustrè sæpenumero admirabar : de hoc in ea , quæ uni propria est disciplinæ , causa , etsi singularibus quidem , attamen conjunctis unà Literatorum cum confessu omni ornatissimo plausibus nobis hodie iterum video exultandum . *Reverendissime , Perillustris , ac Magnifice Domine RECTOR ; Prænobilis , Spectabilis , ac Consultissime Domine Inclyta Facultatis Juridicæ DECANE ; Inclyta Facultas Juridica ; Senatus , Populusque Academice ! Nimirum Numinis illa in Mortalium genus omne perinde semper propitiæ laudatissima jure , nisi ingrati esse non veremur , celebranda est providentia , cuius ope qualis qualis vitiæ ratio , atque institutum uti nunquam non Viros & virtutis ad legum suarum amissim exactæ , & sanctitudinis laude clarissimos in humanis censebat ; ita cœlo eosdem , atque immortalitati subinde religione transcriptos veluti Genios quosdam Tutelares sibi divinitus præstitutos veneratur . Sanè quàm com-*

mune omnibus, quām sibi favore Superūm non vul-
gare bonarum Artium communio orbe toto amplis-
sima beneficium id teneat: unus me judice inficie-
tur, aut ignoret ille, qui ad cœlestium ignium ful-
gorem conspicuum aut sydera polo, aut lucem syde-
ribus desiderari contendat. **E**nimverò quod rerum
sub sole agentium universitati faces illæ supernæ: hoc
coëuntibus in doctrinæ societatem quampiam scien-
tiarum nobilissimarum Lycæis Divos esse Indigetes
non ex vano edixero: lucem, ut illæ, è sublimi im-
pertinent; favillas dissipant, at sacraiores; Divinum
in subiectos animos influxum præstant; orbis deni-
que affulgent decori, atque ornamento; tantò etiam
ad hæc illustriùs, quantò partam mortales inter ex-
celsam gloriam terris reddere utiliùs, suique ad vir-
tutem parem consecrandam vestigia clientibus lu-
culentiùs commonistrare videntur. **E**t fuerit profe-
ctò eadem in hoc, quanquam admodùm commen-
titia, ipsi olim vetustati opinio: quæ, quos laudis
quò quò demum principatu insignes inter suos su-
spexerat, in astrorum aliquando, ubi vitâ decessere,
abiisse naturam sibi credula persuadebat. **A**t nos,
quibus veriore loco Religio ponitur, eorum equi-
dem velut syderum admiramur splendores; hos tan-
quam sanctiora coeli lumina colimus; quos Divina
quædam humana in carne virtus exercita claritudi-
ne sua astrorum etiam super orbes extulit, arisque,
ac cultu dignos effecit.

De una, quod scio, quódque dicere primùm
adgressus sum, è communi Mortalium cætu Artium
bonarum conjunctione; de solo ex hac, ad quem
proximè id pertineat, Juris-Consultorum Ordine In-
clyto; de uno rursùs ex isto, quod præsens demum
expo-

exposcit celebritas, Ordinis ipsius Principe Tutelari
cùm, quæ modò è vestibulo pronunciata, intelligi,
tum quæ reliqua futura est oratio, sermonem à me
confieri omnem hac luce, hoc ex loco oportet. IVO-
NEM nempe Magnum illud profani juxtà, atque sa-
cri fori Luminare uno velut indice demonstrari ob-
servo: hunc ex animis, ex oculis, vultu singulorum,
qui coràm adsunt, mihi legere videor: hunc unum
penè loqui omnia, hunc in laudum ut maximè po-
stulari metam neutquam sentio obscurum. Tua an-
te alios, ut porrò debet, vox illa eminet; Tuus ardor
is, Tuum in Divi præconia desiderium nulli facile se-
cundum colligitur, Inlyte Juris-Consultorum Or-
do! qui quemadmodum IVONIS nomen tibi ex ve-
teri conjunctissimum, Tuóque quondam ceu è gre-
mio cœlis assertum gloriare, ità felicitatis Tuæ hujus,
atque gloriæ fructum insignem publicis de more in
Basilica hac constitutis solemniiis, cunctorum, quot-
quot isthuc convenient, pietati non testatum modò,
sed communem etiam, sed in singulos derivatum reddi
exoptas. Sit igitur: Oratorem, quem me jussisti, eò
in vota Tua primum magis nanciscere, quod ad præ-
sentes hos lucis hujus adplausus non in insimis colla-
turum, & vel ideò fortunatum me arbitror, si, qui
Tuis animum institutis addixeram, Tui per Te, mei-
que (itâ sanè vendicare liceat) encomia Cœlitis pa-
lām eloqui detur. Illud mihi veniæ dederis, oro,
dum IVONEM quidem dictione celebrare ordiar;
sed non abs Te: dum gestis, vitæ sanctimoniam, famam
inlytum dicere; sed qui Tuis talis sub legibus esse-
ctus sit: Tuis sub præceptis ad id laudum culmen
adoleverit unicè, surrexerit, pertigerit. Itâ enim
utrumque dici debere intelligo, itâ alterum ab altero

sejungi haud posse ; ut & IVONEM in Te , Facultas Inclita ! & Te in IVONE Magnam individuo deco- re nominandi quæpiam mihi necessitudo incumbat . Atque eò quod faciat oportunè , Tuam in Divo , Tuo- rùmque Idæam sanè quàm quisitissimam sub ocu- los statuere est animus , ad quam legum utrarumque arcana stupeant , Jurisprudentia , quanta est , omnis se se meritò contempletur . Quo quidem in argumen- ti genere cùm vulgatum forsitan , sæpiùsque anteà pertractatum videri potest , peculiari mihi viâ ince- dendum censui ; neque etenim tam commune , tám- que usitatum solet esse quidpiam , quod cùm sæpiùs memorari necessum est , non aliis atque aliis tentari modis , & ut in summis nempe usuvenit , nuspian ta- men exhaustiri queat .

Ità verò dixerint aliqui , quos alias dies hic Lau- datores habuit , dixerint , & rectè , IVONEM abso- lutissimum æquitatis in quoslibet extitisse exem- plar ; dicam ego , in se unum , quod oportebat , fuisse æquissimum : Divinam alii Jurisperitiam , quâ suum cuique tribuere noverat , uti meruit , laudibus extule- rint ; illam ego hic celebro , commendando solam , quâ primas , potiorésque (nefas ! si alteri) sibi dare fatege- rat : Patrem pauperum , orphanorum refugium , spém- que certissimam salutârint nonnulli ; sui ego Curato- rem suspicio , Servatorem veneror : verbô : alienæ ad legum apicem Patronum causæ justum , sanctum , potentem universi hucúsque prædicârint , quotquot cætûs amantes sui lucem sibi ab hoc nomine mutua- ri contenderint ; suas ego præ omnibus in causas vi- gilem , suis vel in primis faventem rebus pronuncio IVONEM . Insolens hoc , atque inconsultum ad di- cendum propositum arguet quispiam , qui æquitatis

natu-

naturam , quæque isti innititur , Juriūm scientiam
publicis præsertim natam commodis velit. Ego ve-
rò, tantum abest, ut judiciō hôc decedam, ut etiam
in assumpto laudis themate id mihi in præcipuis per-
videndum putem. Eam nihilominùs , quæ in se pri-
mùm , ac sua reflectitur , Justitiam , illius , quæ alte-
ra est , & publica , ceu basim ac principium statuo ,
ad quam videlicet & istam consequi , & illa si absit ,
hanc neutiquam obtineri sit necessum. Quamob-
rem in ea modò cùm & dictionis meæ fundamen-
ta colloco , illud , opinor , cumulate satis comproba-
tum iri , quò orbi manifestum fiat : quàm ex merito
Jure-Consultos inter Divus IVO habeatur Princeps ,
quàm Ordini toti non ad gloriam modò , sed tutelam
fortunate præfectoris sit , qui sibi semper , cùm aliis ,
æquus maximè , Jurisprudentiæ in se omnis , dum
terrìs ageret , normam absolverit.

Quemadmodum sanctum , ac solempne populis
omnibus juris , æquique est nomen , uti religione
non nisi conjunctum præcipuâ ; ità eorum in primis
fidei è cœlo creditum , intérque illos pignoris instar
collocatum censetur , quos seu in forensibus è Re-
publicæ commodo tractandis causis , seu privatorum
in fortunis tuendis , sive in dicundis , dispensandis-
que quomodolibet in alios judiciis , Vicarios , sui lo-
cò , orbi Administros Divina Themis præfecerat .
Quid , quòd neque gentes ipsæ immanitate barbaræ ,
naturâ propè inhumanæ , tam fas omne extra mores
suos , ac vota positum habere solent ; ut non in le-
gum communionem aliquam se sponte adunari fe-
rant , penes quarum arbitros , velut sanctuaria quæ-
dam , rei summam constituant , suarumque inde , si
quid violatum foret , vindicias partium depositant .

Adeò nîl æquè animos sub ordinem cogere , nîl urbes meliùs, Regna , Provincias firmare potis est : atque si suus recto illibatus , & integer constet honos , si jurium valeat ratio , si æquitas imperet , & , quod caput est omnium , unde reliqua non invitè consequantur , si peritissimi quique Legum Interpretes , ac Moderatores , boni publici seu ad notitiam , sive frumentum , haud desint . Fac enimverò abesse istos , fac à corpore avelli , & quidnî in confusum illicò ruere omnia , ipsam unà ereptam animam , Justitiam sublatam animadvertes ? Ex quo porrò quām virtutem illam principe in his locô residere oporteat , ut quæ salutis se fieri publicæ iis tanquam cardinibus in acceptis refert , nemo unus non colliget . Sit etenim , ut esse innuimus , cœli quoddam depositum æquitas ; sit Superūm Justitia munus ; sit Numinis soboles terris velut concredita ; sunt Jurisperiti (de his scilicet agi hic solis ex proposito convenit) sacræ illius arrhæ Antistites , digni , qui anteà inviolatis manibus sanctum contrectent , dum pro vulgo sacrificent : columnæ sunt Reipublicæ ; statera , quæ libertur in alios , ab his primùm recta dependeat : sunt oracula , sunt luminaria ; lucem priùs , candorēmque æquitatis illimem in se , verūmque contineant , dum luceant publico , dum sententiam consulti ferant . Rectè ad hæc ^{δίκης ὀφθαλμος} * Justitiæ oculos nonnemo compellârit , eò fortè indicio , quòd ab his ipso Justitiam quasi referri vultu , ipsâ eadem , quæ ejus folius est , nempe curatissima lumen acie in arcana quælibet penetrari deceat : quòd Themidos oculus ad emolumenta publica per illos vigil hac ratione prospectet . Felicem me hercle gentem illam ! Rempublicam illam ! quæ oculis his , his luminaribus , oracula

* Said. in adag.

culis,

culis, Columinibus, Antistitibus Divæ illius Æquitas, ut sanè de ulla haud est, quòd ambigam, de nostra verò etiam plurimum, quòd nobis applaudam, caruerit nunquam. Illud profectò, quotquot hisce nominibus extitère hactenùs ex vero inclyti, pro thessera, aut summaria quâdam disciplinæ tantæ notione habuerint, habeantque, necesse est: sibi, dum, ajo etiam, antè, atque aliis, consultum voluisse, quòd essent æquissimi.

Ad IVONEM porrò unum omnium instar ectypon absolutissimum priusquam deflectat Oratione, illud præprimis adcurandum video, quòd planum faciam, quibus potissimum rebus Legulejorum ea in semetipsos advertens Justitia æstimari debeat. Ità equidem mecum statuo, Auditores! cùm jus omne in universum eorum, quorum causa pro rostris agitur; tum & illud, quod agentibus ipsis peculiare est, ac proprium, procurandis ut plurimum, defendendisque ex æquo bonis inniti: sunt verò ista duabus præcipue, ut de tertia fileam, quæ corporis est, atque isthuc nîl faciat, definita classibus: animi alteram, alteram fortunæ nuncupare consueverunt. Illâ videlicet intemeratam quandam mentis integratem, rerum cognitionem uti haud vulgarem, ità amorem recti honestique neutiquam simulatum, virtutum denique omnigenarum, sed in primis, quæ reliquas advehat, Justitiæ studium: & est cœlestis; hâc famam, existimationem nominis, fortunarum, causarumque successus prosperos, & est temporaria Jura dicuntium prærogativa, comprehendi vulgo est in confessio. Atque hisce modò è capitibus unam Jure-Consultorum æquitatem in se æquissimam metiri: his coloribus IVONEM in ea facile Principem

C

depin-

depingere lubet. Quod cùm adgredior, nescio, quid consummatum jam perfectumque sub stylum adesse persentisco ; manum tabulæ admoveam ? sed Divum contueor, quem ab lacte primo ad sanctimoniam summam consecrabat Religio, educabat Pietas, Ecclesia sacratiora ad munia deligebat : quibus aliud quid præstitere ? atque ut totus ad Justitiæ regulam tanto formaretur melior, digniorque. Frustrà itaque sim, si verborum inania in ita formatum pigmenta conjecero, nisi vestris, Auditores ! è desideriis ultrò etiam audendum putarem, talem eloquentiâ, ut ut impare, exhibere Cœlitem, qualem lectissimæ dudum virtutes effinxerint.

Ea in primis, ut prima jure est, mentis integritas animum meum advertit: quæ una propè in IVONE, quod aliis, sibi nōrat tribuere; in se se observare æquior; suos innocentiae primæ, cùm ætatis in ea traductæ omnis mores, nutus, imperia ad supernas oculatissima rationes exigere. Nihil illa, quod justum sacrum, (an enim juris nomine non gaudeat? cuius possessio una ferè animo propria, utilis, necessaria est) pretii tanti, tam in summis habendum retinendumque eripere, nūl, quod fas, piūmve lædere possèt, in se ut pia pariter, ita justa admiserat. Adsint huc testes illi, adsint, qui olim, candoris in puero juxta, atque adulto integerrimi Præcones, adsit Genitrix, Matrona laudatissima, & ipsa tantæ filii sanctimoniae præsaga : IVONEM prædicent tam sui proæquo studiosum, tam in tuendo fortem, quām ab animi semper abhorrentem labe, quām in pectoris commoda unicè conservanda intentum. Nempe hos Astræa diligit, hos Legibus, Muniis, Tribunalibus amat allegere: quorum probitatem à semetipsis anteā

anteā ad mensuræ vocatam rigorem, æstimatāmque cognōrit; volucrum in hoc Reginæ non dissimilis: eos duntaxat pullorum inter suos accensenti, qui solis propinquioribus admoti radiis eorum in se aciem primi ferre condiscant. **Tulit IV O;** atque mundi oculum, Justitiam intelligo, in se se reflexit adēd: ut an secundūm istam vitæ intemeratæ nitorem? an illam secundūm hunc dimensus videatur? meritō ambigas. **Quodlibet** sit: iniquum sibi, quin, nisi æquum cùm maximè se præstare nequiverat, dum animō innocuum, illæsum, integrum. **Cordis** hæc humani portio optima: mens pura, illibataque; hujus indemnitati pro virili qui consulit, næ is Jurisprudentūm cum **IV ONE** laureā multò dignissimus judicari debet: immunem quippe cùm illam ad bilancem adfert, num rectè moderaturum dubites? quando sua sic prudens jura expendit.

Jam verò Arte etiam, præceptisque ad id insti-tui, ad quod natam Superi invenerint indolem, opus est. Neque porrò, nisi illum, erga hanc, ut oportet, benevolum, justūmque pronunciāro, qui naturæ munera, eásque, quas ab cœlo sortitus est, ingenii facultates ad destinatam faciat methodum excoli. **IVONIS** certè in eo solertiā quid illustrius? quid ad gloriam insigne magis esse potuit? Habet Britan-nia Armorica, habet Trecoris, quòd de illo plau-dant, cùm natales juxtā, literarūmque elementa in-stillavere: habet Francia, sed in ea Lutetia potissi-mūm, atque Aurelianum, Artium, si quæ unquam, emporia nobilissima, quod honoris sibi, ac memo-riæ apud posteros vendicent. Vedit urbs utraque; quid dico: vedit; dedit utraque Orbi Sapientiæ sy-dus id, ac prodigium, itaque dedit, ut altera alteri

parte laudis concederet aliquā , cùm illa humana-
rum æquè , Divinarūmque cognitione rerum , hæc
Jurisprudentiæ arcanis è palæstra sua instructissimum
velut Pugilem emittebat. Aureliano tamen præ
Lutetia quodd gratulemur , aut quodd illius ante istam
Discipulum extollamus , reperio : ut è quo Magister
subinde , atque Antesignanus Ordinis ejusdem digre-
diens in omnes , quā latè patet , universi regiones no-
minis sui claritatem diffuderit , encomia propagārit.
Cedant nunc Athenæ , Spartha , & si quæ Græciæ
olim civitates fuere , Virorum eruditionis famâ præ-
stantissimorum feraces , Solones , Lycurgos , Legule-
jos ævō suō celebratissimos tulerint : sibi , quod di-
cere ausim , fuere feraces ; dum contrà unam nos
unius excellentiam admiramur , ità orbis totius ho-
noribus obtingere potuisse , ut , quem , præter mo-
rum sanctitudinem , ab exquisita Legum scientia lo-
cus unus habuerit celebrem , inde gentes exteræ eâ-
dem in re Caput sibi Tutelare adsciscerent. Verùm
ut ne ab eo longius , unde orsus est , sermo deviet :
IVONEM cùm sublimi adeò , exactâque discipli-
næ illius peritiâ , illius , inquam disciplinæ , quā san-
ctius nihil , salubriusque ad salutem coñunem Res-
publica humana à **DEO** , natura , majoribus accepit ,
animum suum percoluisse intelligimus , quid nisi
suum per id quām præcipue jurium sategisse arbi-
tremur ? Ardua scilicet res est æquitas , & non om-
nibus continuò , ut velata formatur , sub aspectum
prona. Artis anteà sibi æquus probè nōrit præce-
pta , hæc rectè despiciat , qui pondera in diversos li-
bret. Regitur iis Mortalium communio , sed Legum
studiosi magis regitur voluntas , quā urbes aliquan-
do , hominésque dirigat. Exemplo **IVO** est : præ-
ceptis

ceptis se se palam applicuit, regulis scitissimè informavit mentem; tum sibi sanè, ut decebat, justus, cùm justus esse condisceret.

At enim neque istâ hâc præceptorum duntaxat conscientiâ, ut opere ipso, factisque consummatur virtus. Et hanc igitur, qualem Divo nostro adseratum imus, his è fontibus conjicite: Ità enimverò, quod principiò ajebam, habet: Totus se aliorum in causis adamârat IVO, sua totus quæsierat lucra, cùm advocationes ad fora obiret pro munere, defenderebat innocuos, pupillorum, viduarum tutaretur fortunas, inopiam levaret pauperum, adversantûm injurias quales quales, ac pericula submoveret. Ambigat hic iterum unus aliquis, qui huic facto assentiri possit, sicque forsitan dictis meis intercedat: An nescis, temerarie, nescis sacras, sanctasque æquitati manus esse? nesciñ incorruptam admodùm Justitiæ indolem nil perinde, ut aliena in lucris numerare commoda, sua haud pensi habere? Ut quid itaque labem hanc in virtutis tam integræ, tam illibatae sìnum conjicis? quid IVONI, si justum optas, adspergis? Sed parce sis, oro, qui demum cùnque ità mihi obtrectandum censeas: tua etiam, si rectè me audis, è sententia ultrò nil hæsitans, quod antè, edico, tuis verba mea confirmo suffragiis. Dic siquidem, ut cæpisti, intemeratam æquitatis dexteram alienis nonnisi utilitatibus intendere, insudare commodis: & suum nunquid illa vel te judice hoc bonum, suum lucrum autumat? alius certè, dum esse perseverat, & ignara sit oportet, & impotens. Sic porrò IVONEM navum pariter, ut erat, salutis publicæ zelatorem, Patronum secundùm fas universorum fuisse contendere: neque ipse, quod nôsti, ab-

D

nuam;

nuam ; simul sed propriis muneras , atque animi sui rationibus ab eo consultum perbellè , prospectumque observari velim. Quod ut singulorum sub obtutum tanto pateat luculentius , illud curatè secum unumquemlibet reputare percupio : quantum equidem , quam sublime Jurisprudentiae id fastigium esse conveniat , quod non gratia , non favor potentum , non blandientium illecebræ , non æris , fortunarumque aut spes , aut promissio ; sed unus ad recti honestique lancem inter turbines varios sui amor illimis pensare , attollere , conservare novit. Adeò nimurum depurato semper affectuum pondere Jure-Consulti libratur animus : prodesse nescit aliis , dum lædi semet , dum mentis non optimæ in se damna converti pervidet.

Sic IVO sibi tribuit : sic pectoris conscientiam tutabatur : sic emolumenta quærebat propria : Advocabat ad tribunalia miserorum causas ; sed quas anteà ad recti probè exactas trutinam tanquam suas effecerat : Legum facerrimarum defensabat immunitatem ; sed quibus nil animo suo intimum magè , propriumque senserat : ab jurium inviolata stabat æquitate , pro hac differebat acriter ; sed quam unam scilicet sua intra præcordia comprehenderat , quam ceu vitam complexus est. Facundum inde pro domo sua Tullium æstima , cuius una , meliorque possessio : statutorum æquitas ; cuius facultatum summa : incorrupta in jurium tenorem propensio ; jaætrum boni tanti ne subeat , sanguinis prius impendia posthabet ; ut possideat , nervis , contentionæque omni connitur. O admirabilem Jurisprudentiam ! O Justitiae sibi omnium primò justissimæ singulare , ac Divinum prorsus exemplar ! Obstupesce posteritas !

tas ! Principi Legisperitorum applaude Divo ! vide ab hoc , quid pol ! Tibi primūm æqua tribuere , qui consulere debeas , quò de publico , ut voles , mereare provida.

Quid nunc de eo memorem ? quod cùm omnino non præteriri , extremō saltem partis hujus reponi locō postulat . Quòd si , è Taciti mente , * vera bona in virtutibus solummodò , illis animæ ornamenti lectissimis , sita esse intelliguntur ; quantum his rursùm IVONEM illustrem , quām in iis sibi omni studiō accersendis Curatorem sollicitum inferamus , necesse est . Ego ut ne per singula eam prolixius , cùm temporis hujus , tum & paginæ spatia in id perangusta vetant . Quanquam quidem omnia jam in eo complexus videri possum , quando æquitatis in se ipsa integerrimæ nominatus à me , dictus , probatúsque est amor . Ità enim virtutum cæterarum is choro nec titur , ut non hunc sine illarum , non illas sine hujus ceu Ducis comitatu reperire fas sit . Ea nihilominus , quæ potiora sunt , strictim persequar : Vos ad hoc , Auditores ! arbitros consulo , vos dotum , si quæ orbe sunt , præstantissimarum æstimatores polo : Delectum circa pauca , quod velim , habete , in reliquis quid formetis judicii , vosmetipsi expendite . Quid enim ? Religionem ante omnia , veræ quippe Columen Justitiae , summique cultum Numinis demonstrari cupitis ? Ea in IVONE relucebat , is pectori flagrabat toto , ut & Diviniori se cœlo vitæ normâ adstringeret , Deum imis circumferret visceribus , ad aras immolaret quotidie , tantò profectò Mystra Themidi acceptior , quantò illi sacratior . Propensam in proximos videre charitatem , benevolentiam avetis ? hæc ab exedris Divini Verbi Præconem ,

* In vita Jul. Agric.

ab lycæis Interpretæ ac Magistrum veritatis, ab ro-
stris Causidicū, vindicem Innocentiæ , ab tribuna-
libus sacrī Judicem , Curatorēmque salutis, Divino-
rum aliàs mysteriorum Dispensatorem : hæc egeno-
rum refugium, solamen afflictorum, periclitantium
spem & asylum , verbō : hæc omnibus omnia uno
hoc in nomine dare , esse , fierique visa est. Æqui-
tatis hæc effecta sunt : in omnes se se versare, aptaré-
que artes , quolibet penè colore indui , quò medea-
tur cuilibet : sibi hōc ipsō injuria est minimè , dum
meritis sic animum apud D E U M , hominésque im-
mortalibus imbuit. Et istud , quod diximus , pa-
lām quidem in varios : Quid contrā jam illud virtu-
tum apertè quoque in seipsum directum studium ?
quid mentis , de qua antè , candorem intemeratum ?
quid corporis Angelicam prorsus castimoniam ? de-
missionem animi ? precationum indefessum fervo-
rem ? affectuum , atque sensuum moderationem in-
culpatam ? carnis diram afflictandæ sævitiam ? quid
ista , inquam , ut reliqua omittam , in IVONE cun-
cta potuisse existimatis ? atque ut ad eam sanctitudinis
neutiquam vulgaris excellentiam , laudem , fa-
mam pertingeret , quâ in terris sibi ex vero justus ,
cœlestem beatitatis perennaturæ lauream mercaba-
tur. Hoc sit , medius fidius ! an aliud quidpiam ? se ,
suaque pro æquo adamâsse : hoc aris , quod ajunt ,
focisque prospexit propria , hoc sibi potiores , se-
cundas aliis , cuilibet suum pro Legum justitia , ac
amussi tribuisse.

In alterum , cùm hæc ajo , Laudationis argumen-
tum oportunè Oratio influit ; tantum enim verò istud
meò quidem suffragiò cum altero connectit ponde-
ris , quantum externam , temporariamque Virorum

Sancto-

Sanctorum felicitatem , ab ea , quæ animi est , cœlō-
que æmula , raro admodum sejungi novimus . Ade-
de , suâ quoque nonnunquam velut sponte , fortunæ
commoda alia , ad mentis interna ornementa conse-
qui , alia peculiari Numinis beneficiō ultrò etiam ad-
necti . Utraque porrò sigilla dixeris , indubitatas-
que priorum thesleras , quibus admirabiles illas ani-
mi unius opes seu orbis ipsius , sive Superūm probari
amoribus testatum redditur . Agite itaque Auditores ! qui istis pariter se se IVO cumulârit præsidiis , an
fortè erravi : qui alii eum cumulaverint , paulò accu-
ratiùs contemblemur : æquos nimirum is sibi fortu-
næ casus , æquam hominum famam , cœlos ipsos , fa-
vorésque Numinis ad prodigium usque benignos na-
ctus , expertusque est ? at quidni unus ipse vel in eo
sibi justissimus fuisse censeatur ? quod æqua adeò ex-
periri omnia promeruit , habere etiam debebat . To-
tidem isthoc nunc è partibus lustrandum venit . Lo-
quuntur primum delata tot ad Judicium causarum
genera , difficultatum intricatissimis sæpè horrentia
spinis , & quæ alii in damnatis propè , conclamatisque
numeraverunt : dissolvit IVO , ad salutem perduxit ,
exitu coronavit optatō . Testantur desolatæ anteà af-
flictorum facultates , eversa , exclusaque ab spe omni-
viduarum , pupillorum patrimonia , oppressorum im-
potentia undique deserta : Erat , qui singulorum in se
patrocinium assumeret , IVO , neque assumeret solùm ,
sed itâ conficeret , ut & amissorum his indeptionem
bonorum , illis nominis aut lacefitti , aut violati inno-
centiam , litium aliis fortunatè sublatas moras , omni-
bus denique concupitam in tuto vitæ affereret beatitatem . Adeò sortis supra sinistræ vices Cœlitis glo-
ria surgebat altior , has deprimebat : quid mirum ?

E

æqui-

æquitatis si veluti insidebat stateræ, ejusdem si pondere non leviore quidem, sed purò scilicet, sed naturâ sublimi in altum ferebatur.

Famam quoque ut pro merito Divo famulatam credimus? Virtutum uti comes illa semper est individua, atque debita planè rebus bene gestis præco, quâ demum cunque, IVONIS sequebatur, verius dixerò, anteibat vestigia: neque patriis porrò contenta limitibus ultimos etiam orbis fines exibat. Sic enim verò non sola, Beatum quodd nôrit, Rhedonarum sibi plauserit Regio, non Trecorensum Diœcesis, non Britannia, non Francia, quibus quidem præ aliis fortunatis propiore syderis hujus aspectu frui licebat: plenæ sunt quoque fulgore ejus terræ reliquæ, plenæ, quod scimus, laudibus fastorum paginæ, Juris prudentum ordo omnis ubi ubi dispersus illius veneratione, cultu, tutelâ plenus. Unum profectò illud, quod isthic memorem, ne ab viventis encomio, famæque tum adhuc illi impenso munere separemur, singulorum jure admirationem accersat. Ut quippe in Mortalium nonnullis, quos præclarorum facinorum, ac dotum tametsi decor commendat multiplex, usuvenire nonnunquam cernitur, ut ab uno duntaxat aliquo è cunctis insigniore, magéque notato nomen sibi immortale adhærescere sentiant: ità IVERNEM innumeras licet inter cum sanctimoniae, tum eruditionis, quibus clarebat, prærogativas, unâ tamen nonnisi, instar omnium, ab fama ornatum thesserâ deprehendo. Quæ illa? nôstis probè Auditores! at vos cum primis nôstis egeni! ut quorum animis vox illa, ô quam dulcis! quam solatiō referta! etiamnum altum infidet. Pauperum ore omnium *Advocatus*, Pauperum audit *Patronus*: talem sumi, infimi prædicant, salu-

salutant , venerantur , Judices pro tribunalibus stu-
pent. Dicite, amabo, Jurisperiti! quod nomen aliud
Divo vestro, aut si mavultis, vobis in illo tam incly-
tum, tam ad memoriam prælustre obtingere potuit?
Rectè hercle Tutelarem colitis, qui, quod vestro nem-
pe profitemini munere, unò nominis sui velut compendiò vobis ostentat. Redeo: *Advocatus IVO* audit
Pauperum: audit; quia eum se præstat; famæ publi-
cis circumfertur præconiis; quia famâ dignius exhi-
bere nîl poterat, atque dum muneris sui implebat si-
mul, simul quos implebat, denuò veluti indipisci ti-
tulos consensu unanimi merebatur. Ampliùs nonni-
hil vocum illarum amoëno sensui, quin factis potiùs,
quæ hoc continentur, inhærere libet: In opum nem-
pe IVO Amor est: Pater, Patronus, quod est, egeno-
ruim dicitur. Beatam pauperum sortem! Horum il-
le fortunas, suas reputat divitias: hos non voce mo-
dò, non scriptis, non causarum actione solitâ, sed cor-
poris etiam ultrò subsidiis ab inopia liberat. Quo-
ties oblato alios relevavit ære, detraëctis sponte ab
se vestibus operuit alios, alios victus alimoniâ in-
struxit; ea videlicet in opibus tantummodò accen-
sens suis, quæ liberaliter erogando amitteret, hòc
sibi ditior, adde: hòc etiam æquior, quò in egentes
profusus largiùs. Habet quippe illa & verè, & cun-
cta justus, qui, quæ habet, probè in aliis, utilité-
que collocat; fructu simul auget multiplici, terrena
famæ dum sibi lucra accumulat, neque supernis sine
fœnore dotatur gratiis.

Et verò cœli an quispiam in Beato favores requi-
rat? ubi tantis illud ad amandum eum provocatum
illiciis compererit. Certè Numen ipsum immortale,
æmulum prope (verbo sit venia) Justitiæ robur tri-

buisse videbatur, cùm Justitiam æmulam, hoc est: sibi aded, suisque æquam legibus in IVONE consperxit. Inde igitur gesta illa tam supra hominis naturam admirabilia, inde prodigorum tanta, tamque insolens emanabat patratio, ut delapsus quodammodo cœlō genius terras felicitate suâ revisisse videri posset. Enī portentorum, quæ miremini, epitomen: septem, non amplius, panibus ducentorum & ultrà famentium pauperum corpora reficit: quām DEI Filii in hoc similis exemplo! Alias Christum, eundem D E U M Hominem, egeni pariter sub imagine suscipit, confortat, pascit: Virtutis quantus vel Numinis experiundæ gustus! Familiari Cœlitum insuescit alloquio: quid nisi sibi affinium necessitudine supernæ delectentur mentes? Sacra ad aras operantis mysteria Columba modò, modò Lumen præfulgidum caput obtegit: illa nimirūm columba, lumen illud, quod intelligentiæ sapientiæque Divinus est Spiritus, atque hisce nobis etiam, qui paria instituta sequimur, exortum diebus gratulamur. Sed alia ad hæc cœlestis in IVONE potentiarum relucentis prodigia num adferri lubet? An revocatos ad vitam mortuos eloquar? Annales consulite: * senos, quod inde eruo, supra decem censere fas est. An pulsos de corporibus infestos spiritus, sanatos ægros, cæcis oculorum, pedum claudis repositum usum? an longè diffusa, futuraque pervidendri gratiam? an opem in eximendo quoslibet ab periculis quibuscumque expertissimam referam? Sed enim infinita cùm sunt, eam in rem quæ adduci valeant, vereor, ut dicendo limites præstitutos consequar; quare tum illa omnia, cùm & reliqua, ea unumquemque vestrum, Auditores! mente velim concipere, quæ summa ab hoc genere in IVONE

* Bolland. Act. Sanct. 19. Maii.

& esse, & intelligi oporteat. Atque ista eò à me modò memorata sunto, quò liquidum fieret: quam æqua Divo jure omnia, seu Superum ab amoribus, sive famæ ab studiis, seu terrenis fortunæ ab successibus obtigere, cùm ille suis animi justissimus commodis, æqua ut essent, meruit; ut factò ipsò consequeretur, obtainuit: Illud porrò priore; hoc alterâ hâc Orationis parte demonstrandum suscepit. Cui proinde cùm pro viribus quidem meis factum satis existimo, vela unà dictioni contraho, atque ad eum, quò tetenderam, portum appello.

Euge! triumphus, gloria, laus, honor tibi perennis magnum Jure - Consultorum Archetypum, Dux Antesignane, Dive IVO! attigisti, quod scientiâ tantâ longè erat dignissimum, quod summum in ea, quod reconditum maximè, imò quod scientia erat ipsa: dum Jurisprudentiæ, æquitatisque in Te uno leges expressisti, consuminâsti. Fruere jam coronâ! fruere sedium supernarum beatitate! ad quam immortalia illa Virtutum Tuarum, dico ego: Justitiæ unius Tuæ incredibilis merita Te provexere. Longius illinc quidem à nobis resides: at animis certè nostris, ne respue, at cordibus singulorum, Tui præsertim qui sumus, hæres intimè infixus. Neque nostris sanè, pollicemur, quoad licebit, aberis ab oculis; nam norma es: hanc identidem contueri, ad hanc mores, vitam, æquitatem conformare nostram ratum, firmumque habemus. Dux es: Tuo ad veritatem in reconditis Legum arcanis insistemus vestigio. Tutelaris es: quid mihi, quid Ordini toti ad fortunam optatius? Tuo nimirum inserti pariter manemus pectori: Tuis protegimur auxiliis: Tibi curæ sumus. O vel iterum iterumque Te Ti-

bi sic æquissimum! qui vetus Patroni officium haud exuis, nostrisque è cœlo eò felicius rebus affulges, tutaris causas.

Ad Te demum, Inlyta Jurisperitorum Facultas! méque ipsum convertor: Tibi gratulor! mihi gaudeo! Tibi; quod IVONEM, Illum talem, tantumq; Cœli Principem, privilegiō singulari TUUM dicere possis: Mihi; quod partem, qui pars ipse Tua sum, de gloria tanta vendicare liceat: hodierna cum primis luce, dum Ejus ipsius de Divi laudibus Ora tor per Te suggestum conscendi, qui in laudum Tibi, virtutumque exemplum à Numine datus est. Sunt illæ porrò ejusmodi, ut non Tu postulare, audireque, non ego satis eloqui, possimus. Exiles itaque conatus suscipe, atque in eo saltem, si votis Tuis, atque expectationi responsum est minùs, gratare: quod, cùm IVONEM sibi ad legum amissim æquissimum, TUUM videlicet, quid enim dicere oportebat aliud? hoc est: Jurisprudentum consummatissimam in seipso idæam, ac exemplar contendi,

D I X I.

